

## Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 217

Domino et patri suo Stabulensi venerabili abbati Wibaldo frater Robertus cum orationum devotione obedientiae bonum.

Quoniam cognosco me servum vestrae sanctitatis, paternitatis filium, dilectionis amicum, memoriam vestri facio assidue in orationibus meis, ut vos Deus omnium, Deus miseratione omnipotens regat semper et protegat et gratiae suae splendore irradiet. Et quia probatio dilectionis exhibitio est operis, vobis in operibus vestris voluntate condelector et opere. Unde in vacuando cimiterio novo et aquae ductu restruendo operam do; capella beati Nicholai, gradibus dormitorii superioribus, introitu necessariorum communium, muro pomerii novi non neglectis; mulieris, quae in modico totum jactavit in gazofilatium, formam sectans. Verumtamen lechitus olei et ydria farinae caritati et obedientiae non imminuitur. Nunc quia non in modico restruxistis muros Stabulenses, curandum summopere est, ut edificentur muri Jherusalem. De statu loci vestri propter prolixitatem fratri vestro et nostro, presentium latori, secundum oportunitatem temporis digna relatu vobis indicanda reliqui. Cujus studium filio fratris sui collaudaus, ut voluntatem ejus super hoc impleatis, oro; quia in hoc ordinat caritatem in eo, cujus ordinatione perseverat dies. Et cum tempus est, operandum est bonum ad omnes, maxime ad domesticos, ut domestici fiant tam fidei quam ordinis et sortis Jhesu Christi. Unde ego, gratias multiplices agens vobis pro universis beneficiis vestris, quoniam non unam tantum benedictionem habetis, mi dilecte pater, modo quoque obsecro, ut benedicatis etiam nunc, et propinquiori cognato meo novenni prebendam et locum apud nos concedatis. Nam etsi non possum, Dei erit retribuere, si ei via et janua fueritis veniendi ad hoc, ut passionibus Christi in monasterio sub habitu monachico per patientiam participet. Frater vester de causa hac legatione fungitur pro me; vestrum est, ut respiciatis sperantem in vobis et manum clementiae porrigatis cum fiducia supplicanti. Valete.